



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Directorivm Ecclesiasticae Disciplinae, Coloniensi  
praesertim Ecclesiae accommodatum**

**Frangipani, Ottavio Mirto**

**Coloniae Agrippinae, 1597**

**VD16 F 2269**

De pijs testamentis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62032](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62032)

mine, nisi plena restitutione secuta, absoluantur. Hortatur de hinc omnes & singulos pro Christiana Charitate, debito q̄ erga Pastores suos munere, ut de bonis sibi à Deo collatis, Episcopis & Parochis, qui tenuioribus præ sunt Ecclesijs, largè subuenire, ad Dei laudem, atq; ad Pastorum suorum, qui pro eis inuigilant, dignitatem tuendam, non grauentur.

## DE PIIS TESTAMENTIS.

Quoniam piarum dispositionum executores, & tutores sunt Episcopi; idque D. Sifridus considerans, ob magnitudinem Dioecesis Colonienfis, præter Sigilliferum suum, in singulis Archidiaconatibus duos esse voluit, qui testamētis superintenderent, & in testamētorum executores inspectionem haberent; Nos perpendentes magnam quoque esse singulorum Archidiaconatuum amplitudinem, hoc onus in Ciuitate quidem Colonienfi in Sigilliferum; extra Ciuitatem verò; in Dioecesi tamen Colonienfi, in Decanos rurales dispartendum iudicamus, & illis omnibus ac singulis; pro districtu regiunculæ suæ, hanc curam, hoc nostro decreto imponimus: & executores quoscunq; testamenti, seu vltimæ voluntatis, codicilli, aut ordinationis quorumcunq; Legatorum, sub pœna decem florenorum Rhenensium, fisco soluendorum obligamus, vt intra mensem, à die mortis testatorum computandum, Sigillifero, si in ciuitate Colonienfi habitent, vel alioquin Decano Rurali cui subiacent, authenticum exemplum testamenti, & inuentarij, bonorum relictorum exhibeant; Quod si ea tam ampla ac multa fuerint, vel aliud legitimum obstet impedimentum, vt intra præfixum terminum, in inuentarium redigi non possint: hoc ipsum nihilominus, sub eadem pœna Sigillifero, aut Decano suo, antè statutum diem indicare, & competentè ab eo petere temporis dilationem teneantur. Teneantur præterea

Eccc

dicti

I.

Ca. Tua nobis. Detestament. Statu. Sifrid. ca. 17. pa. 48. d. Statut. VVichbold. ca. 10. pag. 53. Stat. Theod. f. 61. pag. 263. a. Stat. Philip. pag. 285. 286. Adolph. 3. in Synod. auu. nali. anno 1550. habit. in mandato cuius initium est. Quamquam diuini. pa. 508. b. et in Syno. anni 1551. pa. 530. d. Conc. prouin. sub Herm. 5. par. 13. ca. 10. Concil. Trid. sess. 22. cap. 8. re. for. & sess. 25. in Decre. de Purgator. Const. Herm. 4. qua incip. Cum nihil plus pa. 269. facie 2. Stat. Herman. 4. pag. 297. b.

dicti executores, intra annum continuum, à die mortis testatoris computandum, testamenta, vltimas voluntates, codicillos, siue ordinationes testatorum, executi fuisse, & intra mensem post annum præscriptum de facta executione, coram dicto Sigillifero aut Decano suo rationem reddidisse; alioqui si præscripto tempore, testamentorum, siue vltimarum voluntatum codicillorum, seu piarum ordinationum facta non fuerit executio, eadem, nulla alia monitione præmissa, ad Ordinarium deuoluatur; si autem de facta executione non fuerit reddita ratio, decem florenorum pœnam similiter executores incidant.

*Stat. VVich.  
cap. 6. pag.  
52. b. c.*

2. Cum valdè periculosum sit, testamenti sui scriptio- nem, ad extremum vsque vitæ suæ differre; monendos hoc loco censemus Concionatores, vt quando hac de re agendi dabitur oportunitas, Christi fideles moneant; vt cum adhuc integra est incolumitas, illabefactaq; sanitas, etiam longo antè morbum letiferum temporis interuallo, testamentum suum maturè condant, qui legare sua, testariq; iure possint.

*Vide præte-  
rea quadam  
que huc spe-  
ctant, supra  
tit. De Cano-  
nic art Cum  
in officijs  
charitatis,  
& seq pag.  
233.*

3. In condendis testamentis, testatores in his præcipuè dirigantur.

4. Testamentum suum in statu gratiæ faciant, & omnia quæ in eo legant, vel aliter faciunt, ad bonum finem referant; ne vanitas memoriæ sui relinquendæ, vel quæuis alia humana affectio, potius quàm Dei & proximorum amor eos moueat; & si fortè aliàs id fecerint, in statu animæ minus bono, vt vitæ æternæ meritum esse possit, Deo reconcilientur; innouentque priorum legatorum, imò & omnium bonorum, quæ vnquam egerunt, intentionem, eaque tum rata habeant, & ad Dei gloriam, & remissionem peccatorum suorum referant.

5. Si eis cum aliquo vel aliquibus intercedat publica inimicitia, non solùm ignoscant, sed si fieri poterit co-  
ram

ram Notario, & testibus, id testatum faciant. Quod si ipsi alios offenderint, mittant ad veniam petendam, & satisfaciant offenso ut oportet, ac pax, si res id ferat, dum ægrotus uiuit, conficiatur. Secreta autem si quæ fuerint, in huiusmodi secretè transigantur.

5. Solliciti sint, ut declarent deposita, si quæ acceperint, similiter & debita atque iniuste acquisita, si quæ habent, eaque primò persolui curent, omniaque bona & scripta sua, in eum modum tempestiuè disponant, ut ne quid per eorum negligentiam alijs perire possit, nec lites aut forenses strepitus exoriri.

6. Cum hæredibus Christum cohæredem scribant, & in extremo saltem exitu largiter & salubriter sui memores sint.

*D. August. in psalm. 48 & in tractatu, De decem chordis. cap. 12. Chrysostom. in serm. De gratijs reddendis D. Cyprian. tractat. De opere & Eleemosynis cap. 5.*

7. Loco bonorum quæ iniuste acquisuerunt, aut possident, quorum tamen ignorantiam habent, matricem & parochialem suam Ecclesiam, maiorum consuetudine, & pietate, pro ratione magnitudinis substantiæ suæ, legato honorent. Cum enim non temerè à B. Hieronymo scriptum sit; verissimam esse vulgarem sententiam: *Dives, aut iniquus, aut iniqui hæres*, facile à diuitibus aliena possidentur.

8. In hisce obeundis, solliciti semper sint viri Ecclesiastici, ut ne quæ sua sunt quærant, & compèdia alijs debita, vel parata, auertant: sed ab omni suspitione sordide auaritiæ, adeoque ab omni malo, omni que specie mali sese religiosè semper contineant.

## DE SCHOLIS.

1. QVONIAM verissimam esse censemus illam Concilij prouincialis sub Hermanno quinto habiti

Eccc 2 bit